

num ex quaestore sacri nostri Palatii, Consularem atque Patricium: Leontium virum sublimissimum, magistrum militum, ex praefecto Praetorio, consularem atque Patricium: Phocam virum eminentissimum, Magistrum militum, consularem atque Patricium: Basilidem virum excellentissimum, ex praefecto Praetorio Orientis atque Patricium: Thomam virum gloriosissimum, Quaestorem sacri nostri Palatii, & exconsule: Tribonianum virum magnificentum, Magisteria dignitate inter agentes decoratum: Constantinum virum illustrem, Comitem sacrarum largitionum, inter agentes, & magistrum scrinii libellorum, sacrarumque cognitionum: Theophilum virum clarissimum Comitem sacri nostri Consistorii, & Juris in hac Alma urbe doctorem: Dioscorum, & Praesentinum, disertissimos togatos Fori amplissimi Praetoriani.

Vulgatis Justiniani Codicis Editionibus, tres praemittuntur ejusdem Justiniani Praefationes: Prima de novo Codice faciendo: incipit: *Hæc, quæ necessario corrigenda esse multis retro Principibus visa sunt*: in qua adhibitam enarrat horum Jurisperitorum operam, quorum modo facta est mentio. *Secunda* ad Menam Praefectum Praetorio Almae urbis Romae: cujus initium: „ Summa Reipublicae tuitio de stirpe duarum rerum atque Legum veniens, vimque suam exinde muniens, felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus omnibusque dominari, tam praeteritis effecit temporibus, quam Deo propitio in aeternum efficiet „. In ea constitutione, de Justiniano Codice confirmando quid Justinianus statuerit, sic exponit = Sed quum sit necessarium multitudinem Constitutionum tam in tribus veteribus Codicibus relatarum, quam post earum confirmationem posterioribus temporibus adjectarum, ad brevitatem reducendo, caliginem earum rectis Judicium definitionibus insidiantem penitus extirpare; ad hoc commune praestandum beneficium, Deo praesule, pro no animo nos edidimus, & electis viris gloriosissimis tam doctrina legum, quam experientia rerum, studioque pro Rep. indefesso, & laudabili proposito pol-

„ lenti